



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[De Natvrali Ex Vngvivism Inspectione Praefagio comment.]

Baldi, Camillo

[Bononiae], 1629

Annularis, & auricularis maculae. [Cap. XXII.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13286

Annularis, & auricularis macula. Cap. XXII.

Piget, ac pudet metalia comminiscendo tempus terere, & operam ludere, attamen postquam obedire viris primarijs, qui id anxie petunt, & iam finis instat, quod capi; prosequar, si modo prius dixero incidisse in auctorem, qui totam pene hanc met peruertit scientiam. Dextram viris, sinistram manum dat foeminis, nullas putat in viro significationes macularum sinistrarum; nullas dextrarum in muliere; Nigras saturno; albas tribuit Ioui maculas, Marti purpureas, & cruentas; soli roseas, & radiosas; Veneri paruas sub roseas, & ad albedinem tendentes, sine radijs; Mercurio superficiales, puncta referentes, varia castanea, & rosea, Sol subcastaneas radiosas; Luna albas, paruas, contractas, & dissipatas habet; Hæc ille, & quo ad significationes macularum, eas ait fieri diuersas pro natura digiti in quo reperiuntur, vt si Venereas habeas maculas in vngue digiti saturnino, has cum maxima difficultate, aiunt, ad effectum peruenire videbis; quæ si in pollice erunt ex parte quæ Marti assignatur, finem quidem optatum habebis, sed cum rixa, & pugna graui, sed, vt iam sæpe dixi, hæc somnia sunt, nulla ratione, nullis experimentis vallata. Cæterum De minimo, & illi proximo tantum legi; Annularis soli dicatus est; sol Illustres, nobiles; & magnos facit viros, & qui in scientijs, & artibus liberalibus excellētes fient, si illis in pueritia apparebunt solares in solari vngue maculæ; solares diximus secundum istos, esse subcastaneas, lucidas, radiosas; si puncti albi has concomitantur, venereæ cogitationes impediēt valde optimam sortem, quæ promittunt maculæ solares; si puncta nigra aderunt, periculum est mortis propter malignitatem saturni; Nigræ maculæ in hoc solari digito, totam spem honorum perturbant, & nihil te posse consequi horum, quæ speras dicunt, nisi forte fuerint in extremo vnguis, iam enim docent malum influ-

xum euanescere; Cruentæ monent, nobis insidias tendere inimicos, & vulnera intentare, at propter solis benignitatem nocere non poterunt, sed eorum insidiæ nobis cito patebunt; si iam ad medium tendit macula; quod si in fine vnguis, omnino euanuerunt, & penitentia ducti, aut impossibilitate nocendi, destiterunt ab incepto. Hæc si mulier is in sinistra manu apparebunt, sortientur effectum, vt viro in dextra, at conuersim quæ in sinistra viri nihil, & in dextra mulieris raro boni aliquid, aut mali indicabunt; Mixtæ si parvæ fuerint varias cogitationes honoris, lucri, vltionis, & rei veneræ significant; & si magnæ sunt Lunæ, aut, Mercurij maculæ; quoniam hi planetæ, & Luna præsertim celer est, neque eadem bis in eodem mense in eodem cæli loco se monstrat, ideo dicunt hominem talem propter Mercurium esse nobilem, ciuilem, mansuetum, & amabilem, sed propter Lunam, mutabilem, & qui modo affirmet modo neget, sibi que ipse sit discors. Attamen semper amabitur, semper & ipse ad amandos alios promptus erit, qui libenter in aulis Principum versetur, qui bene audiat, & cui credatur, nam affabilitas, & placiditas à Sole causata hoc dat viris, & mulieribus; & illi in quorum annulari spectantur plures, & continentur maculæ, hos vocant solares; vt Iouiales, & Martiales, aut saturninos pro ratione digitorum; Videor autem dixi sse, pollicem Veneri, & Marti assignari, inferiorem partem, & interiorem Veneri, superiorem, & exteriorem vnguis particulam Marti, interiorem voco vnguem quæ respicit indicem, exteriori illi oppositâ, Ioui indicem dant saturno medium, soli annularem, at auricularem quantumuis minimum in duas secant partes, priorem, & superiorem Mercurio inferiorem tribuunt Lunæ, & partem vnguis interiorem versus annularem assignant Mercurio, exteriori Lunæ; Et quod spectat ad annularem aiunt Platonem sentire à corde neruum ad digitum hunc peruenire, & ideo in connubijs digito huic imponi anulum; Quare & omnes cordis cogitationes, & affectus in hoc digito, & vngue spectari,

ari, & non minus quam in fronte apparere, & pro huius vnguis dispositione iudicari de natura, & hominis propensionibus; candidos, magnos, leues, lucentes vngues, signaq; optimam naturam, spes magnas, felices rerum processus arguere; oppositas dispositiones inferre, & minitari arbitrantur, praedictis oppositos effectus. Hæc illi de annulari, at nullum sane à corde neruum ad hunc digitum peruenire ex anatomia certum est; si dixeris arteriam, etiam ad alios digitos peruenit arteria; Neque enim pars est vlla organica corporis nostri, ad quam simul non perueniat neruus, vena & arteria, hæc dat vitam, nutrit vena, dat sensum neruus. Sed iam minimi digiti contemplemur vnguem, & primum Mercurij sedem speculemur; Hic vnguis si rectus, si candidus, vel roseus fuerit hominem, aiunt, significare optimæ indolis ad scientias idoneum, eloquentem, & solertem, sed qui furtis plus iusto gaudeat, talis enim est Mercurius; cuius maculæ sunt paruulæ, variæ, certum colorem non habentes; si ergo fuerint albæ, & plures plurimum delectabitur scientijs, quare arguit hominem percuntatorem, curiosum inquietum; si nigræ, tunc dices, hominem malignum, infidelem, astutum, cui cordi sint doli, deceptiones, & insidiæ; si superabunt rosæ irrisorem, & vaftrum vocabis, adulatorem, cui tamen nihil credere debeas, aleatorem, & deceptorum callidum; qui neminem amabit, præ inconstantia sua, facile peregrinabitur, & seruiet libenter maioribus, & facile se in omnes vertet facies morum; Proteum enim referet, at si valde purpureæ, & cruentæ apparuerint punctis similes, homicida erit, & quot puncta, tot homicidia perpetrabit, aut perpetrare cogitabit, nisi quid impediatur, quæ tamen si in sinistra manu contigerint omnia vana erunt, nullumque fortientur effectum; sed iam de Luna lunariq; parte vnguis dicendum est.

Lunam omnium planetarum mobilissimam, & velocissimam dicunt, quare ea quæ ab ipsa pendent, quæque sub sua dominatione, & custodia contineri dicuntur, omnia ad mu-

tationem, & corruptionem paratissima arbitrantur; Lunaris igitur ab his dicitur homo, cui digitus hic ex parte exteriori maculis scater, subalbis, con fractis, inæqualibus, & ad colorem aquæ accedentibus, hoc est, penè colorem oculorum agni imitantibus. Lunares homines volunt esse leues, atque aliquando concitados, aliàs desides, & segnes ad actiones, naturam si quidem aque imitantur; quare ponunt esse temperamenti pituitosi, sed pituitam volunt esse naturalem, non autem mucosam, verum quæ dicitur inconcoctus sanguis, & imperfectus. Sin autè nigræ fuerint maculæ, quæ locum Lunæ occupabunt; Virum infelicem, in amabilem impurum, sordidum omnibus despicabilem nominant, qui nihil vnquam consequatur, eorum; quæ desideret, patientem tamen in aduersitatibus mediocribus, quod si mediocritatem calamitates excefferint, fiet furibundus, & qui neque sibi neque alijs parcat, Mare enim dicunt, imitari quod & si nullis ventis exterioribus, aut à fundo etiam excitatis vaporibus agitetur, continue tamen mutatur, sed certum seruat ordinem, & enim motum Lunæ sequitur, at si à causis externis, vt pote ventis mouebitur, si lenes sint, se tractari sinet, & naues perfert; at si vehementiores fuerint, & oriuntur sæuissimæ procellæ, disijciuntur, naues, franguntur remi, antennæ, mali, & demum homines suffocantur, in profundum de merguntur, & à piscibus deuorantur, pessimæ igitur sunt nigræ maculæ, Roseæ in Lunæ parte reperiunt dant vxorem, aut amasiam, aut filias, & matrem impudicam, & multis amatoribus gaudentem; hominem vero impurum, impudicum, & indistincte quacunque venere vulgari gaudentem; quod si cum rosea macula apparebunt puncta nigra, aut liuida, morte peribit violenta propter suos incestus, & vetitos concubitus; Purpuram, aut cruorem referentes, quas alij martiales, alij solares appellant; siue Solis sint, siue Martis, propter honores, & dignitates, futuras contentiones magnas prænuntiant, & si puncta nigra apparuerint volunt hominem ob prædictas causas interficiendum.

aut

aut gravissima vulnera suscepturum, quod si hæ macule mulieri aderunt, in parte siue manu sinistra, superba, & immitis erit foemina, instabilis, & vere lunatica, & propter hanc suam superbiam, & iracundiam, & procacitatem sæpe vapulabit; Mixta, & multiplices maculae, in quibus, & pallor, & subcastaneus appareat color hominem indicant male moratum; qui neminem præter se ipsum amet, nemini credat, omnes despiciat, se solum sapientem putet, quo fiat, ut odiosus, & despectus sit alijs, tum propter hoc, tum quoniam sordidus erit & animo, & corpore, fædatis, & mucidis vestibus lætatur, circa quem nova, pulchra, & nitida vestimenta cum posita sunt, videntur scruta; & rancidi, & situ pleni panni; Hæc igitur & his similia sunt quæ à quodam magno chyromantes afferuntur, quam rationabiliter ipsi viderit. Cæterorum Planetarum non meminit auctor. Ex his igitur, ut arbitror, apparet quid sint vngues, ex quibus & à quibus, & quomodo fiant, quæ significant, secundum quantitatem, colorem, & figuram; tum Physice, hoc est cum ratione aliquâ, & naturali; tum secundum chyromantiam; quæ nulla ratione suas firmat, assertiones, & quibus plerumque etiam contradicit experientia.

Quædam divinationum species enumerantur. Cap. XXIII.

ET quando chyromantia, divinationis quædam species est, quamque & nunc, & alibi diligentius reprobavi, posset credere aliquis, me omnes divinationum species rejicere, quod tamen falsum est, aliquas enim omnino puto admittendas, omnes nego. Nam divinationum, & præmotionum aliarum irrationabiles, simpliciter aliarum quarum ratione, & causam nos reddere non possumus, vel ex natura sua, quoniam non habent causam, ut auguria, & extorum inspectiones, vel habent quidem sed diuinam, & soli Deo cognitam, nobis autem ignoram; ut sunt prænotiones, & prædictiones prophetarum quæ fiunt Deo iubente, ab Angelis, vel Deo per-

mitten-